

Reflexiones V[enerabilis] Tractus Bekesiensis quoad Introductionem Cultus Simultanei et Alternativi.

Vult sua M[aies]tas ibi tantum eam introductionem intendi debere, ubi ea cum mutua utilitate et absque ulla laesione unius aut alterius partis accidere potest. At vero eam nusquam nos cum mutua utilitate, et absque laesione unius aut alterius partis accidere posse arbitramur.

Namque.

1^o Quaecumque demum sit suae M[aies]t[is] in ea introductione intentio. Quid quid demum de ea Coetui Protestantium dicatur: is tamen semper religionis suae libertati metuit. Et non solum pro restrictione favoris, exercitium religionis in casibus consuetis obtinendi, per altissimas normales ipsis concessi, habebit, sed et viam ad libertatem religionis suae serius aut citius penitus evertendam existimabit. Nec maior pars catholicorum eam introductionem sponte admittere potest: quippe quae Sacrarium suum cultu protestantium foedari autumat. Nisi de eo persuasa, ut ita protestantes in suas partes pertrahere possit. Quod vel mente versare Coetus Protestantium horret.

2^o Videatur sua M[aies]tas paupertati eorum, qui privatum religionis exercitium propter numerum animarum obtinuerunt, sed propter templi defectum altissima permissione frui non possunt, subvenire velle. At vero eo ipso, quod Excelsum Consilium L[ocum]t[enetiale] scribit simultaneum illud exercitium cultus in templo catholico ex hac ratione facilius protestantes obtenturi sunt, quod illud aliis in locis in templis suis permiserint catholicis, metum incutit protestantibus, ne simultaneum illud exercitium cultus ubicunque catholici templis destituuntur introducatur. Nihil enim facilius est, quam ubique miscere catholicos cum protestantibus, atque ita protestantium templa communia cum catholicis facere. Quod protestantibus perinde esset, ac si templa sua sibi ademta essent: cum in iis instrumenta cultui suo non convenientia cernere cogerentur.

3^a Introductio illa maioris odii et dissidii inter Coetum Catholicorum et Protestantium occasio foret. In templis enim a protestantibus exstructis ii suo iure priores esse vellent, quod catholicos male haberet qui suam religionem pro dominante habent: in templis vero a catholicis [39] [2] exstructis illi ipsi catholici. Ita vero protestantes et tempore cultus aliquando excludi possent. Imprimis tempore brumali, cum vix dies duobus solemnioribus cultibus sufficit. Augeret odium illud, et dissidium communis aedificii cura, mediorum curandi partitio, procuratio, et modus curandi, qui dum parti alteri placeret, displicere alteri posset, et quae non alia.

4^a Quod si haec omnia incommoda ab ea introductione abessent: unum hoc quanta cum laesione protestantium introductio illa accideret, satis superque ostendit, quod nunquam quisquam Coetum nostrorum Protestantium ita informare possit, ut non inquieta conscientia sacra sua ibi peragat ubi diversus, imo suo cultui contrarius exercetur.

Quapropter pro eo potius supplicandum esse putamus, ut Coetus Protestantium tenuiores ad modulum sumtus sui in templis aedificandis restringantur, quam ad introductionem cultus simultanei et alternativi accedendum. E Congregatione Tractuali anni 1788. die 2. Aprilis habita.

Extradata per notarium V[enerabilis] Tractus Adamum Kuthi m[anu]p[ro]pria